



Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm
Spiritvale Christianae Pietatis**

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

Capvt Qvintvm. De Sacramento Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

CAPVT V.

EXERCITIVM
EIVSDEM REGVLAE,
TERTIAE, DE AVGV-
stissimo Eucharistia
Sacramento.

PARS PRIMA.

De Augustissimi huius Sacramenti adm̄
rabilis, & stupenda dignitate; deq; il-
ius eximij fructibus.

INTER innumera diuini amoris in-
nos argumenta, vnum est vel ex maxi-
mis, sacramenti huius institutio. Sed
nec potuit Christus Dominus noster ma-
ioris honoris, utilitatis, ac iucunditatis o-
pus nobis in terris relisperere, quam in
hoc admirabili Sacramento reliquerit. Hic
habemus ad quem refugiamus in omni-
bus aduersis; cui loquamur, cum opus est,
facie ad faciem; Deum inquam; cui per
hoc Sacmentum coniungimur intime,
& quasi concorporamur. Denique vita i-
psa, quē Christus est, nobis hoc Sacra-
mento porrigitur; ut propterea merito Panis
vitæ dicatur; de quo Christus Dominus:

Quā

Ioan. 6.

*Qui manducat hunc panem, vivet in eternum.
Ex quibus & illud colligitur, quod Sacra-
mentum istud infinitæ virtutis sit; ut potè
quod continet fontem gratiæ, & nobis
communicet omnem virtutem passionis
Christi I E S V , cuius est primum infinitū.
Atque eam ob rem tot, tanticue fructus
Eucharistiae à SS. Patribus traduntur, ut eo-
rum breuiarium duntaxat peragere fas
sit. Sunt autem hi.*

1. Remittit peccata præterita, quæ obli-
uione exciderunt.
2. Confirmat aduersum futura.
3. Debilitat vitiosos animi impetus,
4. Tentationes minuit.
5. Ad pietatis studium incitat.
6. Intelligentiam illuminat.
7. Accendit affectum.
8. Confirmat spem.
9. Debilitati nostræ firmitudinem ad-
dit.
10. Exhilarat conscientiam.
11. Participes nos facit meritorum Chri-
sti.
12. Dat pignus gloriæ.
13. Confirmat cor hominis.
14. Armat fortis, ut strenuè cum diabolo
decerent.
15. Alacrem facit ad probas actiones.
16. Mirè adiuuat res aduersas.

• 17. Por-

17. Poenas peccati minuit.
18. Et qui est primus & vltimus, ac omnino summus, nos Deo coniungit, vnit, incorporat, & deifer os facit.

Ex quibus appetit ipso Sole clarius, quam per omnem modum utilis sit & fructuosa Sacramenti huius frequentatio. Ut mirum non sit scriptum olim a beato Ignatio martyre, Apostolorum discipulo ad Ephesios: *Festinate frequenter ad Eucharistiam, & gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipsum assidue agitur, expelluntur potestates Satanæ, qui aetius suos conuerit in sagittas ignitas ad peccatum.* Cuius sententiae in haec verba subscrigit beatus Ambrosius: *Si quotidianus Lib. 5. de se est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt?* *Accipe quotidie, quod quotidie tibi profit: sic viue, ut merearis quotidie accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non mereatur post annum accipere.* Quid clarius ad comminationem frequentis communionis, contra frigidos Christianos, dici potest?

Et sane fructus hos in se sentiunt qui sæpè hoc Sacramento, debita præparacione prætia perfruuntur: ut omnia, quod ait S. Vincentius, evadendi purgatoriij vna esse ex præcipuis ratione, ut quis frequenter communicet.

PARS

PARS SECUNDA.

In quatuor rebus probatio, & preparatio ad hoc Sacramentum versatur.

PRIMÒ, in fide, ut nimirū credas sūb minima visibili particula panis, post consecrationem, contineri verum, & integrum corpus Christi IESU, veri Dei, & homini; corpus inquam idem, quod de Maria natum, cruci postea affixum, & modo ad dexteram patris omnipotentis in cælis sedet gloriosum. Quia vero corpus Christi, corpus est viuum, & animatum, & sub singulis corporibus p̄ se specie panis, non Caro tantum; sed & sanguis, & vi- vna per concomitantiam sanguis, & animi, coniuncta gloria, & beatissima Christi diuini- sur caro, sā tas cum maiestate sua continentur: adeò ut quis, anima necesse non sit laicis sumere Sacra- mentum sub specie vini; quod solis conuenit sacerdotibus; qui non tantum communica- cant, sed etiam sacrificant. Quapropter vi- num quod communicatis laicis porrigitur, vinum est, non Christi sanguis, quod quidem ad abluendum os, & ad hostiam facilius deglutiendam propinatur. Et sicut sub specie panis hęc quatuor quę diximus, caro scilicet Christi, sanguis, anima, & di-

. uinitas

SODALITATIS.

15

unitas continentur; ita quoque sub specie vini, Sanguis, & per concomitantiam caro, anima, & diuinitas concluduntur. Atque hæc est fides Ecclesiæ Catholicae, & Apostolicæ, pro qua occumbendum est potius nullies, quam vel minimum de ea ambigendum. Quod si te dæmon, aut hæreticus, minister eius quispiam tentauerit, & dubietatem aliquam circa veritatem hanc ingesserit, nihil pro responsione a liud ingeras, quam Credo, credo; Deus est omnipotens. Non est impossibile apud Deum omne verbum. Qui dixit, *Fiat lux,* firmamentum, & cætera; & facta sunt; idem dixit, *Hoc est corpus meum,* & verè fit, & est post Consecrationis verba, Corpus Christi. Sicut non fuit Dco impossibile, ait B. Augustinus, quas voluit naturas instituire; sic ei non est impossibile, in quicquid voluerit iam institutas mutare. Quod creditit semper Ecclesia, quod tenuerunt Ecclesiæ Patres omnes, hoc credo, hoc teneo. Domine adauge fidem meam.

2. Præparatio, & probatio hæc consistit in Pœnitentia: scilicet, ut peccata tua agnoscas ex animo, ob ea verè doleas, ea demque sacerdoti verè confitearis, si mortifera potissimum fuerint; ac impetrabis a coram absolutione, firmū etiam animo concipias amplius non peccandi propositum:

yique

vtque omni abiecta similitate, & odio, &
concilieris abs te læsis.

3 In decēti 3. Sit in eo est hæc Præparatio, vt decens
corporis cō- sit habitus, & compositio corporis; vt non
positione. nisi scilicet iejunus, modestus, humili, mi-
nimeque etiam exteriū sordidus ad sacri
synaxin accedas. Aegrotis tamen etiam
non iejunis dari potest, quibus timetur, ne
sine viatico excedant. Obligatur enim om-
nis Christian⁹ (si modò fieri possit) in mor-
tis articulo communicare.

4 In mentis attentione. 4. Probatio hæc posita est in mentis at-
tentione, & animi præsentia: vt nimirum
per Meditationes & orationes pias, ad hoc
tantum Sacramentum, animum conuictas,
consideresque, ac admireris incom-
prehensibilem Dei humilitatem, & Ca-
ritatem non dèdignantis venire ad te, à te ac-
cipi, tibi vñiri, & coniungi: simulque in
memoriam reuoces passionem, & Mor-
tem ipsius, cuius mysterij, in hoc Sacra-
mento singulariter memorem te elevo-
luit.

PARS

PARS TERTIA.

*Variæ affectiones, & intentiones, quas
habere possunt ij, qui ad SS. Euchari-
stiæ Sacramentum sæpius accedunt.
Itemq; Sacerdotes sæpè celebrantes.*

1. Aliquos trahere potest amor Dei, vt
dilectum ad se inuitent sæpius, eumque in
se delectabiliter amplexentur.
2. Aliquos propriæ infirmitatis intui-
tus, vt eum quasi medicum ad se inuitent,
per quem ab omni infirmitate sanentur.
3. Aliquos cōscientia delictorum; vt per
eum, quasi per hostiam placationis, à pec-
catis omnibus expiati purgentur.
4. Aliquos desiderium impetrandæ ali-
cuius gratiæ, vel beneficij per Dominum
I E S V M.
5. Aliquos gratiarum actio pro benefi-
cijs Dei; cùm nihil habeant dignius redde-
re Deo, pro omnibus quæ retribuit nobis,
quam accipere hostiam salutis, redemp-
tionis monumentum, & redempti muni-
mentum.
6. Aliquos laus, & honor Dei, & san-
ctorum; cùm nō habeamus maius, in quo
possimus Deum, & sanctos pro dignitate
honorare.

H

7 Ali-

7. Aliquos pressura alicuius tribulatio-
nis, ut per cum, cui omnia patent, ab omni
aduersitate citius liberentur, & secularius
protegantur.

8. Aliquos caritas, & compassio proxi-
morum; cum pro salute viuorū, & requie-
mortuorum nihil interpellet apud Patrem
efficacius, quam sanguinis Domini Iesu.

PARS QVARTA.

*Aliquot considerationes ad ingeneran-
dam animis nostris reuerentiam erga
hoc sacramentum, per modum medi-
tationis usurpandæ.*

1. Quis ego sum benignissime Iesu, ut de-
siderio apud' me manendi tenearis? Num
viliissimam originem meam ignoras? No
sum ex numero cœlestium illarum legio-
num; non sum Seraphim, non Archange-
lus, non Angelus, nec aliquis ex-sacrailli-
mis spiritibus. Homo sum, qui ante nihil
fui, ex terræ limo ducens initium. Pater
pater meus est, mater mea, & soror mea ver-
mis. Quid igitur reperis in me quod te tan-
toperè delectet, & tecto ac domo inuitet?

2. Sed fortasse, o speciosissime forma pre-
filijs hominum, deliciæ tuæ sunt esse cum
filiis

filijs hominum. Verum, nō sum ego Mo-
ses, non Abraham, nō Iacob; longe absūm
à sanctitate Ioannis, à puritate Mariæ vir-
ginis, à caritate Apostolorum, à sanctorū
tuorum perfectione. Peccator sum, tua p̄s-
entia indignus; qui te profœda voluptate
& lucro temporali non semel Iudeis ven-
didi; & ego te iam cum Iuda deosculabor?
Et velut regem Iudeorum salutans, arun-
dine, hoc est, vacuitate virtutis, & leuitate
nimia vitæ meę, caput tuum percutiam?

3. Si S. Ioannes Baptista in ventre matris
sanctificatus, virtans, & tam admirabi-
lis, non reputat se dignum, qui te tangat,
aut soluat corrigiam calceamenti tui: Si S.
Petrus Apostolorum Princeps presentiam
tuam in nauicula sua extimescens, dicit:
Exi à me Domine, quia homo peccator sum: Si
centurio indignum se ducit, sub cuius in-
tres tectum; *Quomodo ego, totus in pec-
catis natus, audebo te non dicam tangere,*
sed etiam in me accipere, & manducare? O
flos campi, ô lily conuallium, panis an-
gelorum, quomodo nunc à bestia mandu-
caberis? Quomodo qui pasceris inter lilia,
pascae locum apud me inter spinas, & tri-
bulos inuenies?

4. Si Oza Sacerdos, tantum quod arcam
testamenti attigisset, non ea qua debuit re-
uerentia & puritate, repentina morte à Deo

punitus est: Si Bersamitarum 50. millia occidit Deus, quod curiosè, & irreuerenter eandem arcam adspexissent; non erit mihi timendum, qui nō accedo ad tangendam, vel inspiciendam arcam testamenti, sed ad diuinissimum Corpus tuum, arcam scilicet veram testamenti, in qua inclusi sunt omnes thesauri sapientiæ, & potentiarum Dei, complectendum, & manducandum.

5. Sed tamen memini, Domine, quia metrictem suscepisti; quia cum peccatoribus manduasti; quia gratiores tibi multò furerunt Magdalena lachrymæ, quam Pharisei epulæ: quia non indignatus es à muliere, profluvio sanguinis laboranti, simbriæ vestimenti tui tangi; quia cæcos, cludos, immundos, leprosos ad te appropinquantes non recieciisti; ideo ad te venio alacris & bona spesi plenus, quod me non reiicies, nec repudiabis. Quare ô bone IESV, venientem me recipe; ac tibi per hunc mysticū panem, quem in me accipere ardeo, coniunge.

6. Si me, ô suauissime IESV, ab hac mensa iustissimus timor, quem magnitudo scelerum meorum generat, abducit, & abstrahit; ad eam spes, & amor, quem cognita miserationum tuarum immensitas parit, invitant, & urgunt. Scio te esse, qui dixisti;

Non

Non veni vocare iustos, sed peccatores: Et; Non
est opus medico sanis, sed male habentibus.
Ideoque Zachæo publicano tui videndi
desiderio æstuanti non ostendisti te tan-
tum, sed & eum benignè compellasti, ad e-
ius domum accedere, cum eo agere, & mā-
ducere voluisti. Ut quid ergo de tua miser-
icordia, bone IESV, diffidam? cur ad mē-
sam tuam inuitatus adire refugiam? im-
mò, cur ad eam non actutum prouolem?
In ea enim pharmacum salutis, antydotum
contra infirmitates meas potentissi-
mum portiges: In ea propinabis mihi vi-
num, quod germinare facit virgines, quod
serpentes interimit, quod vitam mortuis
restituit: In ea, si infirmus sum, confido sa-
nandum; si debilis, confortādum; si viuus,
magis viuificandum; si mortuus, ad vitam
reuoandum; si tepidus, accēdendum; si ar-
dens, inflammandum; si cæcus, illuminan-
dum; si elisus, erigendum; si nudus, vestien-
dum; si sordidus, abluendum; si pauper, di-
tandum. Venio ergo Domine, ostende mi-
hi faciem tuam, ingredere in domum me-
am; dicas, quia salus facta est domui meæ;
& cur non salus illi fiet, si ad eam Saluator
accesserit?

H 3 PARS

PARS QVINTA.

*Aspirations aliquot, spiritualem famę,
ardensq; desiderium huius sanctissi-
mi sacramenti excitantes.*

1. Quid tibi, Domine I E s v, vi venias ad
me, atque sic te mihi communices? Quis e-
nim tu, & quis ego? Tu creator, ego crea-
tura: tu Dominus, ego seruus: Tu Deus, ego
limus: Tu qui es, ego nihil: tu sanctitas ip-
sa, & bonitas, & beatitudo; ego impius, fla-
gitiosus, & infelix. Cur ergo ad me prope-
ras? Cur mortem minaris, nisi te acce-
ro? An tu fortasse præ amore mei, nescis
quis, qualis & quantus sis? Sed quia scis, ac
me tamen adire vis, non refugio, non ter-
giuersor. Veni ergo Domine, & noli tarda-
re; tui enim amore langueo.

2. Euge anima mea, annuncio tibi gau-
dium magnum; gaude, & lætare, quia ve-
nit ad te creator tuus, pater, pastor, spon-
sus tuus, Deus & homo Christus Iesus, cu-
ius deliciæ sunt esse cum filiis hominum.
Compone te ergo, & dilatare ad tantum
hospitem capiendum, euacula locum cor-
dis tui. Ecce nunc amplissimo beatissima
diuinitatis, sanctissimæ animæ, corporis
gloriosissimi, sanguinis pretiosissimi mu-
nere auctam te esse desiderat. Occurre illi

cum

cum muneribus: sed quid tibi offeram, bone I E s v? Quid me opus habes, qui omnia habes? Si me totum dedero, quantulum id est? Si quod alias facere assoles, cor meum petis, illud tibi offerre no audeo: Est enim immundum, est frigidum, est asperum, est te planè indignum. Quod si omnino dari tibi vis; offero penitus, & qualemque sit dono. Si enim immundum est, purissimo Sanguinis tui balneo, quod mihi paratur in hoc Sacramento, lauabis: Si frigidum, Caritatis tuæ non tam igne, quam incendio, quod in Eucharistia feruet, accendes: si durum, & asperum, benignitatis tuæ oleo, gratiæque vnguento, cuius plena sunt hæc mysteria, lenies; atque sic lotum, accensum, mollitum, nec prorsus tua misericordia indignum cor meum accipies, & eorum mihi tuum porriges. Accipe me tibi, bone I E s v, & te totum dona mihi. Accipe cum corde meo totum amorem meum; & porridge amorem tuum.

3. Scio, ô bone I E s v, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ, æternum bonum meum, quia amas me. Quæ enim alia fuit causa, vt dum se Iudas componeret ad tuæ prodictionem, tu horum quasi nescius omnium, Sacramentum hoc institueres? nisi vt vicissim parares nobis amoris funes & vincula, quibus nos tibi constringeress

& gloriam , qua nos æternum beares? nisi
vt passionis tuæ viuam nobis relinquentes
memoriam:qua, procuratæ nobis per eam
salutis , demonstratæque tuæ admirabilis,
& planè nimiæ caritatis essemus perpetuò
memores. Agnosco ergo mysterium, ag-
nosco caritatem : de qua verissimè scrip-
tum ; quia aquæ multæ , Passionis scilicet,
non potuerunt extinguere , nec flumina
obruere eam. Quocirca, vt eo caritatis igne
incalescam, vt gratam vicem amoris repé-
dam , vt à te cruciatibus nullis desciscam,
venio ad te bone I E s v : os meum per hanc
participationem Corporis tui , lateri tuo
applicare, & sanguinem tuum exsugere at-
deo . Sic enim magnitudinem amoris tui
non tantum intelligam , sed & palpabo
quasi, & intimis præcordijs sentiam ; vt in
me semper maneat, & ego in te , veni ergo
Domine, & noli tardare.

4. Scio , amator hominum , suauissime
I E s v , dum corpori tuo pretioso commu-
nico, fieri me templum Spiritus sancti; ta-
bernaculum sanctissimæ Trinitatis; sepul-
chrum viuum tuum ; hospitem etiam tuū;
immò matrem Dei, sponsam tuam, beatæ
matris filium ; ideoque , quemadmodum
desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita de-
siderat anima mea ad te Deus: vt in me ha-
bites , apud me commoreris , in me viuas,

mo. & ego

& ego in te : ac non iam te conuertam in
me, sed conuertas me in te , qui es vita , &
salus mea vnika , festina ergo Domine , ne
tardaueris, patet tibi cordis mei penetralia;
compositum sepulchrum; in quo non 40.
horis, ut in illo lapideo , sed in perpetuum
conquiescas.

5. Non ignoro , pientissime I E S V , car-
nem meam,dum Communico, tangi abe-
nedicta carne tua, manus me tuas osculari,
complecti sacrum caput: tui propterea su-
mendi desiderio exæstuo . Scio dum te in
me accipio, quendam quasi fieri cælestem
Paradisum: Vbi enim Deus est, ibi & pa-
radisus est . Cupio ergo ex te audire iam
glorioso , quod olim a mortali & crucifi-
xo audiit latro : *Fili mi , hodie tecum eris in
paradiso.* Scio denique, dum Communico,
fieri me aulicum tuum, assidere mensæ re-
giæ, vesci epulo pretiosissimo , panem au-
gelorum sumere, delicias prægustare , gra-
tia compleri, futuræ gloriæ pignus accipe-
re, ac denique bonis omnibus cumulari.
Eapropter cor meum , & caro mea exultat
in te Deum suum; ad tuas delicias, ad tuum
coniuicium anhelant.

Ergo ô bone I E S V , dulcissime & a- *Dicenda*
mantissime Iesu, deliciæ meæ, amor meus, *hæc Ora*

H 5 æter- *sub ipsam*

Communionem.

æternum bonum meum, melliflue & desideratissime I E s v , miserere mei, conunge me tibi; quia ego seruum tuus sum, & filius ancillæ tuæ, Ecclesiæ, & Mariæ. Paratum tibi cor meum, fiat mihi secundum verbum tuum.

PARS SEXTA.

Quid post communionem faciem-dum?

I. Post Communionem, agendæ sunt confessim gratiæ, quod dignatus sit Deus ingredi in te, & suscipi à te. Quocircà opportunè adieceris Psalmum sequentem.

Laudate Dominum omnes gētes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.
Anima Christi sanctifica me:
Corpus Christi salua me:
Sanguis Christi inebria me:
Aqua lateris Christi laua me:
Passio Christi conforta me:
Obone I E s v , exaudi me:
Intra vulnera tua absconde me;
Et ne permittas me separari à te.
Ab hoste maligno defende me,

In

In hora mortis meæ voca me,
Et iube me venire ad te,
Ut cum sanctis & electis laudem te,
In secula seculorum, Amen.

Gratias tibi ago, Domine sancte Pa-
ter, omnipotens, & æterne Deus, qui me
indignum famulum tuum, nullis meis
meritis exigentibus, sed sola dignatione
misericordia tua, satiare dignatus es pre-
tioso corpore, & sanguine filij tui, Domi-
ni nostri Iesu Christi. Te deprecor, vt
hæc sancta communio non sit mihi rea-
tus ad poenam, sed intercessio salutaris ad
veniam. Sit mihi armatura fidei, & scutu
bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum e-
vacuatio, concupiscentiæ ac libidinis ex-
terminatio; caritatis, patientiæ, humilita-
tis, obedientiæ, omniumq; virtutum aug-
mentatio: cōtra insidias inimicorum tam
visibilium, quam inuisibiliū firma defen-
sio: motuum meorum tam carnalium, quam
spiritualium perfecta quietatio: in te uno,
ac vero Deo firma adhesio, atq; finis mei
felix cōsummatio. Et precor te, vt ad illud
ineffabile conuiuum me peccatorem per-
ducere digneris, ubi tu ipse es cū filio tuo,
& spiritu sancto, sanctis tuis lux vera, satie-
tas plena, gaudium sempiternū, iucundi-
tas consummata, & felicitas perfecta,
Amen.

*Oratio S.**Thomæ ad**Deum Pa-**trem.*

H C

Com

D. Petri Ca Commendo metibi, serenissima, ve-
 nisij preca- reque inclita Virgo Maria, cæli, ac terræ
 tio ad B. Regina, quæ in tuo sacratissimo vtero eum
Virg. post dem Dominum, & omnium Creatorem,
Communio quem ego modò suscepi, de Spiritu sancto
scm. conceptum dignè portasti. Precorte, ma-

trem Dei sanctissimam, vt pro me apud eū
 dem filium tuum intercedas, & quacunq;
 ratione in summi Sacramenti huius sum-
 ptione deliqui, huius negligentiae, & indi-
 gnitatis meę veniam impetres. Tu semper
 casta, pura, innocens, post conceptum filii
 etiam castior, purior, & sanctior, Deoque
 gratior euasisti. Vtinam & me tam diuini
 Sacramenti perceptione ita sanctifices, vt
 deinceps cor, & corpus meum ab omni le-
 thalis peccati macula tuear impollutum.
 Tu concepto filio de Spiritu sancto ma-
 gnificas laudes Domino lætè decantasti,
 & in Deo salutari tuo mirabiliter exulta-
 sti. O si tuis efficacibus precibus id asse-
 quar, Virgo Mater, vt cum hac sacra com-
 munione nouum, & ardentem spiu-
 tum coniungam, ac semper in gratiarum
 actione pia verter, tantoq; Rēdemp-
 tori, & hospiti me nunquam ingratum,
 sed fidum in omnibus ministrum osten-
 dam, Amen.

2. Post Communionem necessaria est
 custodia sensuum, linguæ, & cogitatio-

num.

num. Non est etiam hoc illuc excurrendū, nugandum, ludendum, negotiandum, &c. sic enim quām p̄imū diuini huius cibi sapor, perceptusque in communione spiritualis odor euansceret, fieretque quodammodo sacramento iniuria.

3. Aliquid tribui debet piæ meditationi; quæ instituetur vel de SS. Trinitate, vel de B. Virgine, vel de Christi passione, & mysteriis redēptionis nostræ, vel de venerabili Sacramento, vel de Sanctis, prout dies ipse feret, & postulabit: propterea de his omnibus non omissa est hoc Manuali apta meditationi materia.

4. Postremò, eo die, quo sacram mensam adierimus, maximè erit adeūda **Concio**, frequentandi Sodalitatis cœtus, audiendæ vesperæ, aliæque laudes diuinæ: & quicquid obsequij, bonarumque operacionum huic hospiti exhiberi poterit, non erit omissum.

H 7 PARS

PARS SEPTIMA.

Per breves Aspirationes, & Conceptu-
nimi per modū meditationis post SS.
Communionem fructuosissimè adhi-
bendi.

1. *Aspira-*
tio.

i. **M**irantur, bone Iesu, creaturæ om-
 nes, te in purissimum Marię, ma-
 tris tue uterum descendisse; cùm tamen in-
 tegerrima illa, & omni virtute, & gratia
 resplendissima fuerit: An non, mirari magis
 debeo, voluisse te in me ingredi, à me reci-
 pi, à me teneri, deformi, inopi, sordido?

Tunc Domine in me manere, & in-
 ter vasa electorum tuorum collocare me
 vis, qui vas fui hactenū immundum & for-
 didum? Et quamuis singulari tua gratia,
 per pœnitentiam, ut spero, ablutus sum;
 nunquid tamen vas olim ad excipiendo
 vomitus destinatum nullam, vel solare-
 cordatione, nauseam mouebit? Ita ne in
 me manere, & tanquam vasculum, aut pi-
 xidem sacrarum reliquiarum, immò Cor-
 poris tui constituis?

2. Benedicant te omnes Angeli tui, bo-
 ne I E S V, quia quod proprium est spōsi &
 spōsæ, tibi me vis inseparabili vinculo con-
 iungere: effice ergo te unum ut diligam, te
 unum ut sitiam & amem, ac nullę me mū-
 dil-

di il'ecebræ, nulla carnis voluptas, nul-
læ dæmonum insidias abs te auellat, & se-
parent.

3. Da mihi præsentiaæ tuæ effectus per-
fentiscere, bone I E s v ? Memini benedi-
ctionum, quibus cumulaſti eos, qui te ali-
quando in domum suam acceperunt. Ma-
riam matrem tuam, vbi in vterū te suum
accepit, omnibus donis & gratiis comple-
uisti. Zachæum illum publicanorum prin-
cipem, quod te acceperit hospitio, cælesti
benedictione cumulaſti. Simulatque obi-
ta pro nobis morte in infernum descendi-
ſti, illum in paradisum quendam commu-
taſti. Domum Obededom, in qua arca te-
ſtamenti, huius Sacramenti, umbra tan-
tum & figura, reposita fuit, omni benedi-
ctione locupletasti, da quoq; domui meæ,
in quam ingressus es, benedictionem; eam
quæſo in paradisum conuerte, eam donis
tuis & gratiis cumula.

Memini pientissime Iesu, ſacriſ de te
litteris eſſe mandatum, quod omnis tu: ba
quærebat te tangere, quia virtus à te exibat
& sanabat omnes. Ecce ego te iam non te-
tigi tantum, ſed in me quoq; accepi; exeat,
quæſo, à te virtus, quæ omnes languores
meos sanet, quæ vires nouas ſufficiat ad fer-
uendum tibi, &c.

6. Simulatque anima tua preciosissima

ex

ex sacratissimo tuo Corpore egressa est, o
Iesu pro nobis crucifice, voluisti Corpus
tuum myrrha, & aromatis conditum, syn-
doneque purissima inuolutum inferri in
sepulchrum, petra benè munitum, & iam
toto terrarum orbe glriosum. Et ecce mo-
dò (quæ tua est incomprehensibilis boni-
tas) Corpus idem tuum, à morte susci-
tum, animaque beatissima informatum
mihi porrigit; in me, vt in sepulchrum
aliquid inferam, in me vt illud recōdam;
da ergo mihi, obsecro, fortitudinis petram
ad vincendas omnes imperfectiones, & fe-
rendas omnes aduersitates, labores, & pe-
ricula omnia, quæ pro tuo honore, & mea
salute mihi sunt sustinenda. Da quoque
mihi linteum, sindonemque castitatis, &
puritatis. Dona postremò myrrham mor-
tificationis, vt huius diuinissimi Sacramen-
ti gratia delibutus, à criminibus purus, &
integer, nullo mortiferæ perturbationis
veneno inficiar, & corruppar, sed odor &
mihi, & aliis omnibus sim in vitam; tibi
vero in nominis tui gloriam sempiter-
nam.

Petitio-

Petitiones deuotæ ad Dominū I E S V M
Christum, ex S. Augustino, quæ etiam
coram S. Eucharistia dici
possunt.

D Omine I E S V , nouerim me, noue-
rim te,
Nec aliquid cupiam nisi te;
Vt odiam me, & amem te.
Quicquid agam, propter te.
Humiliem me, exalte me :
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, & viuam in te.
Quæcunque veniant, accipiam à te
Persequar me, sequar te.
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Dignus sim defendi à te.
Timeam mihi, timeam te.
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
In nullo officiar, nisi in te.
Aspice me, vt diligam te;
Voca me, vt videam te,
Et in æternum potiarte. Amen.

Oremus.

Absorbeat quæso, Domine Iesu Chri-
stie, mentem meam ignita & mellifluu vis
amo-

amoris tui ab omnib^o, quæ sub cœlo sunt,
vt amore amoris tui moriar, qui amore a-
moris mei dignatus es in ligno Crucis mo-
ri. Amen.

PARS OCTAVA.

Litanie de Venerabili Sacramento, ex

Scripturis Sacris, & SS.

Patribus.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus san-
cti. Amen.

Antiph. O sacrum conuiuum, in quo Chri-
stus sumitur, recolitur memoria passionis
eius, mens impletur gratia, & futuræ glo-
riæ nobis pignus datur.

Kyrie eleison. Christe eleison:
Kyrie eleison. Christe audi-
nos. Christe exaudi eos.

Pater de cœlis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas unus Deus.

Panis viuus, qui de cœlo descēdisti.

Deus absconditus, & saluator.

Frumentum electorum.

Vinum germinans virginem.

Panis pinguis, & deliciæ Regum.

Iuge

Miserere nobis.

SODALITATIS.

375

- Iuge sacrificium.
Oblatio munda.
Agnus absque macula.
Mensa purissima.
Angelorum esca.
Manna absconditum.
Memoria mirabilium Dei.
Panis supersubstantialis.
Verbum caro factum.
Verbum habitans in nobis.
Hostia sancta.
Calix benedictionis.
Mysterium fidei.
Præcelsum, & venerabile sacramē-
tum.
Sacrificium omniū sanctissimum.
Verè propitiatorium pro viuis, &
defunctis.
Cœleste antydotum, quo à pecca-
tis præscruamur.
Stupendū supra omnia miraculū.
Sacratissima Dominicæ Passionis
commemoratio.
Donum transcendens omnē ple-
nitudinem.
Memorale præcipuum diuini a-
moris.
Diuinæ affluentia largitatis.
Sacrosanctum, & Augustissimum
mysterium.

Miserere nobis.

Phar-

Pharmacum immortalitatis.
 Tremendum ac viuificum sacramentum.
 Panis, omnipotentiâ Dei, caro factus.
 Incruentum sacrificium.
 Cibus, & coniuua.
 Dulcissimum conuiuium, cui assistunt Angeli ministrantes.
 Sacramentum pietatis.
 Vinculum charitatis.
 Offerens & oblatio.
 Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata.
 Refectio animarum sanctorum.
 Viaticum in Domino morientiū.
 Pignus futuræ gloriæ.
 Propitius esto. Exaudi nos Domine.
 Ab indigna Corporis, & sanguinis tui susceptione.
A concupiscentia carnis.
A concupiscentia oculorum.
A superbia vitæ.
 Ab omni peccandi occasione.
 Per desiderium illud, quo hoc passcha cum discipulis, manducare desiderasti.
 Per summam humilitatē, qua discipulorum pedes lauisti.

Miserere nobis.

Libera nos Domine.

Per

Per ardentissimam caritatem, qua
hoc diuinum sacramentum in-
stituisti.

Per sanguinem tuum pretiosum,
quem nobis in altari reliquisti.
Libera nos Domine.

Per quinq; vulnera huius tui Cor-
poris sacratissimi, quæ pro no-
bis suscepisti. Libera nos Do-
mine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt nobis fidem, reuerentiam, &
deuotionem huius admirabilis
Sacramenti augere, & conser-
uare digneris.

Vt ad frequentē vsum Eucharistię
per verā peccatorum cōfessio-
nem, nos perducere digneris.

Vt nos ab omni hæresi, perfidia,
ac cordis cæcitate liberare di-
gneris.

Vt sanctissimi huius sacramenti
pretiosos, & cœlestes fructus
nobis impertiri digneris.

Vt in hora mortis nostræ hoc cæ-
lesti Viatico nos confortare, &
munire digneris.

Fili Dei,
Agnus Dei, &c. Parce nobis Do-
mine.

Agnus

Te rogamus audi nos.

- Agnus Dei, &c. Exaudi, &c.
 Agnus Dei, &c. Misericordia nobis.
 Kyrie eleison. Christe eleison.
 Kyrie eleison. Pater noster.
Vers. Et ne nos, &c. *Resp.* Sed libera nos, &c.
Vers. Panem cœli dedit eis.
Resp. Panem Angelorum manducauit homo.
Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus: Qui viuis, & regnas in unitate Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito, esuriētes reples bonis, fastidiosos diuites dimittis inanes: tua nos quæsumus gratia semper præueniat, & sequatur; ac studiis nostris, bonisque operibus iugiter prestat esse intentos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPVT